CAPUT I.

Genealogia Domini nostri Jesu Christi secundum Carnem.

§. I.

DEUS,

ADAM,

Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch, Mathusale, Lamech, Noë, Sem, Arphaxad, Cainan, * *Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Sarug, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esron, Aran, Aminadab, Naason, Salmon, Booz,* **, *Obed, Jesse,*

---

* *Caïnanum, Arphaxad* inter & *Sale, Gen.* X. 24. & XI. 12. omittit *Moyses*: in textu S. Lucæ C. III. 36. comparet *Caïnan*; sed alienâ illum manu in textum fuisse intrusum, vehemens suspicio est.

** Utrùm *Rahab*, mater *Boozi*, *Mat.* I. 5. eadem sit cum illâ Jerichuntinâ, quæ exploratores excepit *Josu.* II. 1., dubitant interpretum nonnulli. Captum enim superare videtur, quomodo à capta Jerichunte, ubi *Salmon* duxit *Rahab*, usque ad ortum *Davidis* effluere potuerint 366 anni; tot namque fluxisse patet

DAVID

Juxta S. MATHÆUM. Cap. I. 1. *seqq.*	Juxta S. LUCAM. Cap. III. 23. *seqq.*
Salomon	*Nathan*
Roboam	*Mathatæ*

---

ex III. *Reg.* VI. 1, ubi ab exitu Israëlis de Ægypto, usque ad annum quartum Regni *Salomonis*, decurrisse dicuntur anni 480. Ab annis autem 480 si demantur anni 40., quibus Israëlitæ commorati sunt in deserto, & anni 70, quibus vixit David II. *Reg.* V. 4, item anni quatuor regni *Salomonis*, restabunt anni 366, quos in quatuor personis, *Salmon*, *Booz*, *Obed*, & *Jesse* vix reperire licebit, nisi in ætate omnino decrepitâ generasse supponantur. *Nicolaus de Lyra*, quem *Tirinus* sequitur, ut propositæ satisfaciat difficultati, tres distinguit *Booz*, filium scilicet *Salmonis*, nepotem, & pronepotem, omnes ejusdem nominis, quorum duos priores vult à *Mathæo* prætermissos, & tertium duntaxat positum. Quare juxta hanc sententiam, *Salmon* genuit primum *Booz*, & hic genuit secundum, postea hic secundus genuit tertium, atque hic tandem tertius genuit *Obed* ex *Ruth*. Ast nulla sententiam hanc fulciunt argumenta. Nomen *Rahab* non sine gravi causâ in Christi genealogiâ expressit Spiritus sanctus, & unius tantum *Booz* meminit Scriptura sacra; neque plures admittere oportet, ut salvetur Scripturæ calculus, quandoquidem à vero non putemus abludere, quod quatuor homines sibi succedentes 366 annorum spatium replere possint, illis præsertim temporibus, quando plures etiam ultra sæculi spatium

Abias	*Menna*
Asa	*Melcha*
Josaphat	*Eliacim*
Joram ***	*Jona*

vitam provehebant. De *Booz* sanè constet, ipsum grandævum fuisse tempore, quo genuit *Obed*. Ait enim *Ruth* C. III. 10. *Benedicta es à Domino Filia, quia non es secuta juvenes, pauperes, sive divites.*

*** *Joram genuit Oziam* Mat. I. 8, non immediatè, sed mediantibus tribus generationibus. Nam *Joram* proximè genuit *Ochoziam*, hic genuit *Joas*, *Joas* genuit *Amasiam*, *Amasias* genuit *Oziam*, seu *Azariam* IV. *Reg.* XIV. *Mathæus* autem, cum in censu progenitorum Christi, ter quatuordecim hominum numerum servare decreverit, tres eo numero majores, præterire debuit. Cur verò hos potiùs, quàm alios tres, omittendos putaverit, ratio, ajunt, fuisse videtur, quod tres illi geniti essent ex *Athalia*, impiissimorum *Achabi* & *Jezabelis* filia, quorum stirpem penitus delendam Deus prædixerat III. *Reg.* XXI. 21. Unde *Mathæus* saltem memoriam eorum, quasi nunquam vixissent, ad quartam usque generationem, abolitam voluit. Verum an hæc præcisè proposita fuerit *Mathæo* ratio, multum dubitare licet. Illa saltem minimè probatur ævi nostri criticis, quibus *Athaliæ* scelera, satis causæ non sunt, ut originis series mutilaretur, præsertim quod in Christi genealogiâ, compareant *Salomon*, *Achaz*, *Manasses*, & alii, de quibus par posset adferri ratio. Quapropter superfluum esse ducimus, peregrinam huc rationem advocare. Solent frequenter Hagiographi in

Ozias	*Joseph*
Joathan	*Juda*
Achaz	*Simeon*
Ezechias	*Levi*
Manasses	*Mathat*
Amon	*Jorim*
Josias	*Eliezer*
Jechonias, qui & Eliacim, & Joakim	*Jesu*
	Her
Jechonias, qui & Joachin ****	*Elmadam*
	Cosan
	Addi
	Melchi
	Neri

---

rebus notissimis aliqua negligere, atque ubi originum series texunt, recitatis solùm iis nominibus, quibus opus est, breviori viâ ad propositum tendere. Sic I. *Paral.* IV. 1. *Sobal* tanquam proximus *Judæ* filius ponitur, quanquam quinque, vel sex ætatum intervallo, ab eo distet. Plura itidem nomina desunt in C. II. L. 1. *Esdræ*, collato cum Cap. II. Libri II.

**** Igitur in Genealogiâ Christi apud *Mathæum* duplex distinguitur *Jechonias*. Hinc dum ℣. 11. *Josias* dicitur genuisse *Jechoniam*, intelligendus est *Joakim*, filius *Josiæ*: dum autem post transmigrationem, *Jechonias* dicitur genuisse *Salathiel*, *Jechoniæ* nomine venit *Josiæ* nepos, filius *Joakim*. Bellè hanc

SALATHIEL.

ZOROBABEL.

Abiud	*Resa*
Eliacim	*Johanna*
Azor	*Juda*

---

in rem S. *Ambrosius* C. 3. in *Luc.*, *duos*, ait, *Joachim, hoc est, duos Jechonias fuisse, historia indicat, unum ante transmigrationem, alterum in ipsâ transmigratione generatum, id est, Patrem, & Filium. Ergò Pater inter superiores generationes est computatus, qui successit Josiæ, Filius inter posteriores, qui successit Patri, id est, nepos Josiæ.... Non igitur suppressit alterum Evangelista, sed utrumque signavit, quod uterque Jechonias dictus sit.* Idem confirmat S. *Hieronymus* in hunc locum scribens. *Sciamus*, inquit, *Jechoniam priorem ipsum esse, quem & Joakim, secundum autem Filium, non Patrem, quorum prior per K. & M., sequens autem per Ch. & N. scribitur, quod scriptorum vitio, & longitudine temporum* apud Græcos, Latinósque confusum est. Ipsemet etiam Evangelista inter utrumque *Jechoniam* satis apertè distinguit. Dum enim ℣. 11. dicit: *Josias genuit Jechoniam*, de industriâ, & ex proposito videtur addere: *Et Fratres ejus*, ut innuat hunc *Jechoniam*, diversum esse ab illo *Jechonia*, de quo loquitur ℣. 12, utpote qui fratres non habuit, sed unicum duntaxat fratrem, nempe *Sedeciam*, ùt constat ex I. *Paral.* III. 16. Cur verò *Joakim*, seu

Sadoc

Achim

Eliud

Eleazar

Mathan

Jacob

Joseph, Vir

Mariæ, de

quâ natus

est - - JESUS. - -

Joseph
Semei
Mathathias
Mahath
Nagge
Hesti
Nahum
Amos
Mathathias
Joseph
Janne
Melchi
Levi
Mathat
Heli
Joseph, Vir
Mariæ, de
quâ natus
est

Jechonias prior, *Jechoniæ* posterioris pater, non dicatur hunc genuisse, sicuti de aliis dicitur, ratio fuit, ut evitaretur Cacophonia, sivè ingrata ejusdem nominis repetitio, scilicet: *Jechonias genuit Jechoniam.* Unius dein ab alio distinctio, & successio satis constare poterat, tum ex interjecto intervallo captivitatis Babylonicæ, tum ex adjunctis priori fratribus, quibus alter caruit, tum etiam ex commemoratione geniti à secundo *Salathielis* post transmigrationem in Babyloniam, in quam solus *Jechonias*, filius transmigravit, patre ignominiosâ morte sublato, & sepulturâ asini sepulto extra portam Jerusalem juxta vaticinium *Jeremiæ* C. XXII. 18. 19.

§. II.

En ! itaque Genealogiam Jesu Christi à *Mathæo*, & *Luca* descriptam ! Conveniunt ambo in subjecto, seu materiâ, quam pertractant ; siquidem uterque describere intendat veram, ac naturalem Servatoris nostri Genealogiam. Conveniunt in scopo & fine, qui est, ut uterque ostendat, Christum esse verum Messiam, ortum ex *Abraham* & *David*, secundum promissiones iisdem divinitùs de eodem factas. Conveniunt in personis ab *Abraham* usque ad *Davidem* inclusivè, quos S. *Mathæus* ponit in prima sua tesseradecade. Easdem enim uterque recenset, & licèt *Mathæus* non incipiat ab *Adamo*, ad quem usque, imò & ad *Deum* ascendit S. *Lucas*, seriem tamen hujus non impugnat, sed supponit. Conveniunt denique in eo, quod uterque Christi Genealogiam usque ad Josephum deducere, & per ipsum Jesu Christi genus, ac originem probare velle videatur.

§. III.

Verùm & discordant inter se ; primò quidem in modo, seu formâ procedendi. *Mathæus* namque progreditur descendendo, *Lucas* ascendendo : quanquam hoc de se sit indifferens, & Hebræi passim nunc uno, nunc alio utantur modo, proùt occurrentia in scripturis, modi utriusque exempla probant. Præterea *Mathæus* Evangelium suum

Judæis ſcripſit, ideóque incipit ab *Abraham*, utpote cujus memoria celeberrima erat Iſraëlitis, eíque facta Meſſiæ repromiſſio. *Lucas* verò Gentilibus ſcribens, aſcendit uſque ad *Adam*, ut oſtenderet Meſſiam non Judæis tantùm natum fuiſſe, ſed & Gentibus, cùm *Adam* pater ſit omnium, imò & idcirco aſcendit ad Deum, de quo Apoſtolus Rom. III. 29. *An Judæorum Deus tantùm? nónne & Gentium?* Diſcrepant ulteriùs in hoc, quod *Mathæus* Generationes ſuas, redigat in certas claſſes, & teſſeradecades, *Lucas* verò non item. Cur interim S. *Mathæus* in tres teſſeradecades Genealogiam ſuam diſtribuerit, hujus rei non contemnendam S. *Chryſoſtomus Hom. IV. in Math.* adfert rationem. Vult enim id factum eſſe, ob tres inſignes mutationes, quas populus Dei ante Chriſtum, expertus fuerat in triplici quaſi ſtatu, in quo fuit. Sic primus populi iſtius ſtatus, fuit quaſi Democraticus ſub Patriarchis, Prophetis, & Judicibus, ab *Abraham* uſque ad *David*. Nam licèt *Saul* ſub titulo Regis præfuerit populo, revera tamen & occaſio electionis ejus, & regni decurſus, & infelicior exitus ſatis demonſtrârunt, illum quaſi in pœnam regnaſſe potiùs, quàm quia tempus ſceptri advenerat. Secundns erat quaſi Monarchicus, ſub Regibus à *Davide*, uſque ad captivitatem Babylonicam. Tertius quaſi Ariſtocraticus ſub regimine Ducum, & Pontificum, à cap-

tivitate Babylonicâ usque ad Christum. Itaque S. *Mathæus* hìc se accommodat consuetudini Historiographorum, qui in descriptionibus suis varia observant intervalla, quibus regnum aliquod, seu populus diversa dominantium subiit Imperia, veluti de Romano egit *Tacitus*, qui dicit Romam ab initio habuisse Reges, postea Consules, Dictatores, Triumviros, donec omnia tandem *Octavianus Augustus* nomine Imperatoris in suam redegerit potestatem.

§. IV.

Disconveniunt iterùm in numero Generationum, non solùm quatenùs S. *Lucas* ab *Abrahamo* ascendens sursum, refert eas, quas omisit *Mathæus*, verùm & quatenùs ab *Abrahamo* ad Christum usque, unus recenset plures, quàm alius. Sic *Lucas* à *Davide* usque ad Christum, Generationes enumerat quadraginta duas, *Mathæus*, viginti octo duntaxat. Sed facilis est ratio differentiæ, eó quod S. *Mathæus* volens Generationes ab *Abraham* usque ad Christum dividere in tres tesseradecades, omissis illis tribus Regibus, *Ochozia*, *Joa*, & *Amasia*, non potuerit plures, vel pauciores ponere: *Lucas* autem plenum, & completum intendens earundem exprimere numerum, voluerit Genealogiam Christi ad *Adam*, & ad *Deum* usque deducere, Generationes exhibens septuaginta septem,

Discordant denique in hoc, quod S. *Mathæus* constanter utatur vocabulo : *Genuit*, *Lucas* verò usurpet voces : *qui fuit* &c. phrasi latiori. Ast & hoc parùm refert, quandoquidem hæc loquendi, au scribendi formula : *qui fuit*, non neget aliquem esse Filium naturalem, verâ Generatione natum, ùt patet ex ipsomet progressu Genealogiæ *Lucæ*, dum dicit : *qui fuit David*, *qui fuit Jesse*, *qui fuit Obed* &c., Quos omnes extitisse Filios naturaliter genitos, in confesso est apud omnes.

§. V.

Præter hæc, in quibus inter se dissentiunt *Mathæus* & *Lucas*, restat & alia gravissimi momenti difficultas, *quomodo scilicet dicti Evangelistæ, idem Josephi, vel Christi genus ducere potuerint per diversas adeò lineas, diversasque numero Generationes, & personas?* Quæstio hæc, pro quâ enucleandâ, desudârunt hactenùs præstantissima orbis ingenia, una facilè ex illis est, in quibus sobriè oportet sapere; quod dum advertere neglexit *Faustus Manichæus*, in extremam incidit dementiam, sacrilegâ temeritate utrumque Evangelistam ausus rejicere. *Fieri*, ajebat ille, *posse putabam, ut, quia Præscius non sum, quem mentiri existimabam, ipse diceret verum, & quem vera loqui, ipse forsitan mentiretur; infinita ergò eorum prætermissâ lite, & interminabili mihi, ad Joannem, Marcùmque me con-*

tuli. At egregiè, ſolidéque pro more ſuo *Fauſto* reſpondet S. *Auguſtinus* L. 3. *cont. eund. Fauſt.* C. 2. *Acutos*, inquit, *& doctos viros divinarum ſcripturarum pertractatores, vidiſſe quidem hanc diverſitatem, ſed piè cogitantes tantæ Authoritatis eminentiam, latere ibi aliquid credidiſſe, quod petentibus daretur, oblatrantibus negaretur, à quærentibus inveniretur, reprehendentibus ſubtraheretur, pulſantibus aperiretur, oppugnantibus clauderetur, petierunt, quæſiverunt, acceperunt, invenerunt, intraverunt. Unitate* itaque, pergit L. 5. C. 5. S. Doctor, *gaudent, & in Chriſto unum ſunt* Mathæus, & Lucas : *Et ſi alius aliud, & alius aliud, aut alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec ſibi ullo modo contraria, ſi pius Lector accedat, ſi mitis legat, & ſi non hæretico animo, unde rixetur, ſed fideli corde, unde ædificetur, inquirat.* Hæc *Auguſtinus.*

§. VI.

Videndum igitur *primò*, quomodo conciliandi ſint hi duo Evangeliſtæ, qui genus S. *Joſephi* ducunt per diverſiſſimas lineas *Salomonis*, & *Nathanis*, & quomodo ab utroque *Davidis* filio, & ab utriuſque poſteris deſcendere potuerit S. *Joſeph*? Videndum *Secundò*, qualiter conciliari poſſint quoad numerum perſonarum, vel Generationum? Siquidem *Mathæus* à *Davide* uſque ad tranſmigrationem Babylonis, numeret tantùm quatuordecim,

Lucas autem plures; & à *Zorobabele* usque ad *Josephum Lucas* referat octodecim, *Mathæus* duntaxat novem. Inquirendum *tertiò*, cur & quomodo alios progenitores, aliásque personas recenseat *Mathæus*, & alias omninò *Lucas*? Sic *Lucas*, *Salathiëlem* facit filium *Neri*, *Mathæus* asserit esse filium *Jechoniæ*: *Lucas* nominat *Resam*, filium *Zorobabelis*, *Mathæus* eundem adscribit *Abiud*, quà Patri; *Lucas* Patrem S. *Josephi* appellat *Heli*, *Mathæus* dicit *Jacobum*. En! quot & quantæ in intricatissimâ hacce materiâ difficultates! Quæ tamen, si non omnes, saltem ferè omnes, ab unâ dependent solutione, per quam, & ex quâ operosum non erit reliquis satisfacere. .... Expendamus præcipuas, magìsque inter alias celebres, Patrum, & interpretum, círca propositas difficultates, sententias.

CAPUT II.

Examinatur Systema Julii Africani.

---

§. VII.

Julius Africanus, qui tertio Ecclesiæ sæculo floruit, in Epist. ad *Aristidem*, quam refert *Eusebius* L. I. H. E: C. 6., hanc concordiæ tentandæ rationem tradidit